



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Canones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

annis visitaret gentem Cornubiensem, ad extirpandos eorum errores. Nam antea in quantum potuerunt veritati resistebant, & non decretis apostolicis obediebant. Sed & aliis prouinciis constituit Plegemundus archiepiscopus duos episcopos. Australibus Saxonibus virum idoneum Bernodum ordinauit, & Mercionibus Cenulphum ad ciuitatem quæ dicitur Dorkecestre. Hoc autem totum papa Formosus in Synodo sancti Petri sic conclusit, vt damnaretur in perpetuum qui hoc salubre mutaret Concilium. Misit etiam in Britanniam literas, quarum † exemplar hoc est.

† Supr.
pag. 616.

CONCILIVM VIENNENSE, ANNO CHRISTI 892.

AB EPISCOPIS REGNI ARELATENSIS, præsentibus Formosi papæ legatis, Viennæ celebratum in basilica Saluatoris, anno Christi DCCCXCII. Formosi eiusdem papæ anno II. Odonis regis v.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| I. <i>Vt seculares, qui res ecclesiasticas detinent, nisi admoniti se correxerint, excommunicentur.</i> | III. <i>Vt qui agrotantis seu defuncti episcopi vel presbyteri elemosynam fraudat, excommunicentur.</i> |
| II. <i>Vt seculares, qui clericum aliquem occiderint, vel dehonesterint, nisi ecclesie satisfaciant, excommunicentur.</i> | IV. <i>Vt seculares ecclesias inconsultis episcopis non dent: neque census vellos introitus causa exigant.</i> |

PRÆFATIO.

HÆC capitula facta sunt anno dominicæ incarnationis DCCCXCII. indictione x. iussu domni Formosi apostolici congregata Synodo apud Viennam metropolim Galliæ, præsentibus legatis sanctæ apostolicæ sedis venerabilibus episcopis Paschali & Ioanne, & aliis coepiscopis eiusdem regni, quorum nomina subter habentur adscripta, in basilica vrbs ipsius sancti Saluatoris nomine consecrata.

CANONES.

I.

Vt ab iniusta inuasione & possessione ecclesiasti-

ANNO
CHRISTI
892.
carum rerum sæculares abstineant, & qui hæc-
tenus hoc fecisse noscuntur, emendare cogantur:
& si admoniti non se correxerint, tunc congruo
tempore virtute Spiritus sancti, ex auctoritate beati
Petri apostoli, habeantur excommunicati.

II.

Vt sæculares, qui de catalogo clericorum ali-
quem occiderint, vel castrauerint, vel aliquo mem-
bro detruncauerint, seu temere dehonestauerint;
& de præteritis pœnitendo ecclesiæ satisfaciant, &
emendare studeant. Quod si non fecerint, supra-
dicto tempore excommunicentur.

III.

Vt eleemosynam episcopi, vel presbyteri, ægro-
tantis seu defuncti nemo qualibet fraude violare
præsumat. Quod si quis fecerit, nisi emendauerit,
simili sententia feriatur.

IV.

Vt nemo sæcularium ecclesias dare, vel offerre,
absque consilio & voluntate episcoporum, ad quos
ipsæ ecclesiæ pertinent, præsumat. Et vt nulli cen-
sus a presbyteris loco muneris ad introitum, vt di-
cunt, ecclesiarum exquirantur, aut vi aliqua ex-
torqueantur.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Concilium Viennense.*] Editum a Baronio in appendice tomi XII.
ex codice Massoniano, qui nunc est in bibliotheca archiepiscopi To-
losani. Visuntur & alia eorundem Canonum quædam exemplaria.